

Version latine n°3 : un sale garnement

Jalouse de la belle Psyché, Vénus avait envoyé son fils, l'Amour, pour être l'instrument de sa vengeance. Quelle n'est pas son indignation lorsque, occupée à se baigner, elle apprend par une mouette qu'Amour, qui se remet d'une brûlure, est fou amoureux de Psyché !
Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.

[Haec quiritans properiter emergit e mari suumque protinus aureum thalamum petit et reperto, sicut audierat, aegroto puero iam inde a foribus quam maxime boans : « Honesta, inquit, haec et natalibus nostris bonaque tuae frugi congruentia, ut primum quidem tuae parentis immo dominae praecepta calcares, nec sordidis amoribus inimicam meam cruciaries, uerum etiam hoc aetatis puer tuis licentiosis et immaturis iungeres amplexibus, ut ego nurum scilicet tolerarem inimicam. Sed utique praesumis nugo et corruptor et inamabilis te solum generosum nec me iam per aetatem posse concipere. Velim ergo scias multo te meliorem filium alium genituram, immo ut contumeliam magis sentias aliquem de meis adoptaturam uernulis, eique donaturam istas pinnas et flammam et arcum et ipsas sagittas et omnem meam suppellectilem, quam tibi non ad hos usus dederam : nec enim de patris tui bonis ad instructionem istam quicquam concessum est.

Sed male prima tu a pueritia inductus es et acutas manus habes et maiores tuos irreuerenter pulsasti totiens et ipsam matrem tuam, me inquam ipsam, parricida denudas cotidie et percussisti saepius et quasi uiduam utique contemnis nec uitricum tuum fortissimum illum maximumque bellatorem metuis. Quidni ? cui saepius in angorem mei paelicatus puellas propinare consuesti. Sed iam faxo te lusus huius paeniteat et sentias acidus et amaras istas nuptias.] — Sed nunc inrisui habita quid agam ? Quo me conferam ? Quibus modis stelionem istum cohibeam ? Petamne auxilium ab inimica mea Sobrietate, quam propter huius ipsius luxuriam offendi saepius ? At rusticae squalentisque feminae conloquium prorsus adhibendum est ? horresco. Nec tamen uindictae solacium undeunde spernendum est. Illa mihi prorsus adhibenda est nec ulla alia, quae castiget asperrime nugonem istum, pharetram explicet et sagittas dearmet, arcum enodet, taedam deflammet, immo et ipsum corpus eius acrioribus remediis coerceat. Tunc iniuriae meae litatum crediderim cum eius comas quas istis manibus meis subinde aureo nitore perstrinxi deraserit, pinnas quas meo gremio nectarei fontis infeci praetotonderit. »